

**Dissertatio medica inauguralis de inflammatione ventriculi ... / Eruditorum examini submittit Jacobus Evera.**

**Contributors**

Evera, Jacobus.  
Rücker, Johann Conrad.

**Publication/Creation**

Lugduni Batavorum : Apud Gerardum Potvliet, 1741.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/tchrqvt>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS  
DE  
INFLAMMATIONE VENTRICULI.

QUAM,  
ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

*Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,*

D. JOAN. CONRADI RUCKER,

J. U. D. ET JURIS CIVILIS IN ACAD. LUGD. BAT.  
PROFESSORIS ORDINARIJ.

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,*  
& *Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;*  
PRO GRADU DOCTORATUS,  
Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis  
ritè ac legitimè consequendis,  
*Eruditorum Examini submittit.*

JACOBUS EVERA, MEDIOBURGO-ZELANDUS.

*Ad diem 25. Julii 1741. hora locoque solitis.*



LUGDUNI BATAVORUM,  
Apud GERARDUM POTVLIET, 1741.





D. GULIELMO EVERA,

PATRI MEO INDULGENTISSIMO OMNI

AMORE ET OBSEQUIO

VENERANDO.

*Hancce Dissertationem  
Inauguralem*

D. D. D.

JACOBUS EVERA.









DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,

DE

INFLAMMATIONE VENTRICULI.

§ I.

**Q**uamquam partes membranaceæ laxiores rarius inflammationi subjectæ sint, eo quod humores lege circulationis perpetuo transfluentes minorem in iis patiantur resistantiam; Observationes nihilominus docuerunt eas quandoque sævissima inflammatione corripiri; sic Vesica Urinaria, Mesenterium, Intestina, Ventriculus, Meninges inflammatae post tolerata dirissima symptomata in mortem desinere solent, nisi circumspectissimum a principio morbi æger adhibuerit medicum. Cum vero ventriculus crudis subigendis sit destinatus, ab eo-



rum autem copia, & qualitate, five esculenta five potulenta spectes, facile ad obstructions & diatheses Inflammatorias disponi potest, ita ut mirum videri posset, Inflammationem hujus Organi esse rario-  
 ris observationis, dum toties gulosi copia eum gravant & incauti alimenta qualitate noxia, affatim assumunt, aut iis, qui ἀπεψία, Διάφθορα laborant, assumpta licet pauca copia in ventriculo corrumpuntur. Rationem hujus ex naturæ sollicitate loco, occasione, fine prospicientis providentia desumendam existimo. Hocce digestionis organum eo in loco collocavit, ut externa ejus superficies undequaque viscerum mollium calentium fotu indefinenter reficiatur, motuque cieatur multivario. De hisce quantum ratio instituti postulat, dicemus.

## §. II.

Notum est Physiologis, Membranam internam ventriculi non modo ob amplitudinem, qua superincumbentem nerveam excedit, in rugas contrahi, verum etiam papillis numerosissimis in ipsum cavum pendulis Instructam esse. Ob quarum congeriem tota villosa apparet instar panni, quem velurum vocant, in qualibet papilla ope impletionis artificiosæ, & microscopiorum vasa arteriosa, venosa, ductusque excretorii deteguntur, hinc in recenter defuncti cadavere superficies hæc deterfa mox rursus madescit. Arteriola indefinenter

ex-



exhalant lympham tenuissimam, ut vasa perspirantia in reliquis superficiebus tam internis quam externis obvia. Ductus Excretorii humorem mucosum tenacem admodum copiosum, ut membrana Schneideri in organo olfactus expansa, effundunt. Mucus hic lubricatissimus secundum naturam nunquam non præsto est, veluti docet vomitus, quo magna quantitas ob violentam ventriculi convulsionem excuti solet, qui tam faucibus, linguæ, dentibus, Palato, labiis quam molestissime adhærescit, & in longa tenuissima demum visum fugientia filamenta ex ore producta lentescens extenuatur, instar albuminis ovi anatini. Si tum cavum oris digito exploras, lubricatissimum illud deprehendes, & inde communicatam digito lubricitatem ad alium digitum frictu adhuc percipies. Signum evidentissimum, superficiem ventriculi esse præ lubricitate intractabilem, quod etiam in cadaveribus denatorum apparet exploranti.

## §. III.

Mucus descriptus totam superficiem internam ventriculi obduxit, nervorum extrema exquisitissimo hic loci sensu gaudentium blande involvit, (est enim indolis tam consistentia quam qualitate blandissimus,) ne actu frigida, calida aut acria, aut aspera, nisi harum qualitatum excessus admodum notabilis sit, ingesta percipiantur. Sic videmus homines robustos victu simplici  
ciori



ciori utentes, potum fere glaciale sine noxa deglutire, licet XC. gradibus differat a calore naturali, quod nemini suaderem imitari, qui acrioribus eduliis hoc naturæ præsidium indies extenuare non veretur.

§. IV.

Licet extrema nervorum muco inhæreant, non tamen ita obducta sunt, ut exquisitissimam sentiendi facultatem amittant; per extrema hic intelligo eam partem, qua eminent extra planum, convexum, aut concavum, non præcisè illud ultimum punctum, quo desinunt, hoc quodammodo liberum esse oportet, ut excubias agere possint, an salubre vel noxium, cito aut plane non subigendum ingestum sit, alioquin vinum emeticum in ventriculo incalescens eum tam facile in convulsionem exagitare non posset. *Si qua proinde, inquit Fredericus Hofman. Decad. 2. Dissert. 7. De inflammatione Ventriculi, corporis pars exquisito & delicato sensu instructa est, certe est ventriculus. Hic intus undiquaque membrana nervea cingitur, quæ sic appellatur, quod in hanc multi, Iique insignes nervi excurrant, imo cute, a cuticula separata multo sensibilibior animadvertitur. Sensit hæc ventriculi membrana spicula Antimonii, quæ cutis etiam nuda sine noxa tolerat. Oculi admittunt in collyriis. Crocum Metallorum, licet acutissime præ cute sentiant, imo apiculi nervi linguæ adequati saporis organa minus ab ejus spiculis*



*lis afficiuntur. Testis hujus rei est famosa cicuta aquatica, quæ intus sumpta ob vehementem irritationem tunicæ, in ventriculo venenum est; exterius vero in forma cataplasmatum vel emplastri lieni tumido vel duris tumoribus applicata magna eaque innoxia est medicina. Addo, nervos ventriculi sensu exquisitiori gaudere quam olfactorios, qui effluvia odorifera percipiunt, nam in vino emetico facultas percipiendi odoris nil detegit.*

## §. V.

Si autem, quacunque ratione id contingat, mucus hic nimis absterfus fuerit, mollissima etiam ingesta dolorem excitant, ad illapsum guttulæ aquæ frigidæ magna per totum ventriculi cavum fit irritatio, quod Practici tractantes ventriculi inflammationem attente considerant, omni cura sensibilitati nervorum ventriculi prospiciunt, experientia edocti, non tantum horum nervorum irritatione ventriculum pessime affici, verum etiam universum corpus in consensum rapi; accipit enim nervos a distributione paris vagi, quod emisso nervo cardiaco, ac pneumonico juxta Æsophagi latera descendit, dividitur in duos ramos, nempe in anteriorem & posteriorem, ille rursus in nervum coalescit, qui juxta posteriorem partem orificii sinistri ad fundum ventriculi procedit. Hic vero posterior ad dorsum ventriculi fertur, & ab uno ad alterum orificium transit. Ex his duobus ramis varii ramuli abscedentes per sub-

B

stan-



stantiam orificii finistri distribuuntur, plexum nerveum instar reticuli constituunt, deinceps nervis hepaticis alii in Pancreas, alii in vasa Cholodocha, duodenum & pylorum defleclunt iisdemque propaginum series inferunt, quibus adhuc aliæ ab utroque nervo ad stomachum accedunt, illi inferuntur.

### §. VI.

Ex hac distributione difficile non est intelligere, quod tantus sit ventriculo cum toto corpore consensus, & cur in emesi validiori bilis rejiciatur, maxime ventriculo jam exinanito & pyloro laxo existente, contracta enim *Θλίψις* passa vesicula fellea evomit bilem contentam per ductum cysticum & communem in cavum duodeni, ubi ob flexuram ejus in jejunum musculus abdominalibus hoc momento quoque convulsis prementibus pressam, ipsum jejunum ingredi nequit, per laxatum violente pylorum in cavum ventriculi acta, vomitu rejicitur, item apparere videtur, cur inspissatio humorum per systema vasorum & viscerum difficilius, tardiusque circulantium: tum etiam, cur acrimonia eorum systema nervosum irritando sitim excitet, quæ non exstinguitur, nisi causa sublata, licet nulla ejus pars in cavo ventriculi, aut parca admodum in ejus vasis existat. Forte asserere liceret causam famis pariter potius in consensu nervorum, quam exinanitione ventriculi, aut muco ad acrimoniam vergente, aut contentis mora & calore a-

cri-



crimoniam naētis, aut partium ad se invicem attritu latitare. Si argumentorum pro singulis militantium vim consideramus, attritui minimum attribui debere ostendit Anorexia, dyspepsia &c. in morbis ab alcalescen- tibus ortis, ubi sitis ingens, appetitus prostratus, at- que ab omni cibo abhorrens, licet ventriculus vacuus existat. vid. Boerhaav. Instit. §. 912. attritum hunc fa- mis causam non esse, evidentissime omnium demonstrat argumentum ab inedia desumptum, hic enim si causa famis foret, augetur ad mortem usque, prout auge- tur exinanitio. Hanc enim inanitionem augeri quidem posse, ita tamen, ut contentis adhuc aliquod spatium su- perfit, discimus ex ejus fabrica; integre enim nunquam evacuari potest: hinc in fame enectis deprehensa adhuc fuere in ventriculo alimenta, licet pauca. Eodem ar- gumento docemur natam inde acrimoniam contento- rum causam famis non esse, hæc enim in inedia actio- nibus vitæ ad putredinem usque augetur, fames tamen tertio quartoque die a cibo sumpto minuitur, sitis ve- ro augetur. Effecta inediæ Vide Boerhaav. Institut. §. 757. unde forte concludendum, causam famis potissi- mum in consensu nervorum consistere. Quidquid hu- jus sit, nil positive determinando in abstruso relinqui- mus. Hæc naturæ mysteria altius indagare virium te- nuitas non permittit, nec scopus exigit.



## §. VII.

Exempla consensu ventriculi cum toto corpore morbum quemvis internum curaturo medico suspicienda refert Frederic. Hofman. L. C. & quod maxime mirandum, inquit, dantur quædam medicamenta, quæ simul ac ventriculum contingunt, effectum in diffitis partibus exerunt. Exemplo sit opium princeps remedium sedantium, hujus vel dimidium saltem granum, idque vel solum, vel cum aliis mixtum, simul ac acceperis & sedat dolores & dormiendi adfert cupidinem. Nitrum, quo non clarius vel majus antispasmodicum, parva etiam dosi, in feбри vel in ardore inflammatorio datum, mox refrigerationis sensum per universum corpus diffundit. In nimia fibrarum relaxatione ferique vel sanguinis fluxu validius stypticum datum, dum adhuc in ventriculo versatur, in remotioribus locis etiam constringentem ostendit effectum. Tartarus non solvitur in aqua, nisi ad duplum caloris nostri incaluerit, qui tamen proprium ejus menstruum, ut aliorum salium, existit, proin nec in ventriculo, nec in Intestinis solvetur, adeoque vasa lactea non ingreditur, effectus tamen per universum corpus exserit, quorum si consensum tollas, ratio sufficiens dari nequit. Sic flores Sulphuris sudorem excitant, pulv. lapid. hæmat. laudatur in hæmoptoë, nullo tamen experimento constitit, hæc in  
ven-



ventriculo aut in Intestinis solvi, aut vasa lactea ingredi. Plurima eaque admodum curiosa, exquisitissimisque ratiociniis stabilita videre est in libro cui titulus: l'Anatomie de Heister edit. 2. Parysiis titulo de la Faim & de la Soif. Silentio prætereuntes plura ejusmodi soli consensui adscribendo revertemur unde digressi.

## §. VIII.

Vasa villos constituentia glutinoso fluido inhærere supra diximus, proin superficie solidorum alimentorum facile inflecti possunt, ut inde fluxus retardetur, obstructioni occasio suppeditetur; verum cum moles alimentorum continuo minuatur (nisi ventriculus ultra tonum infarctus fuerit, nam tunc nil dimittit) multivariis motibus cieatur, villi plicati, pressi rursus liberantur, ad exhalationem & resorptionem expediuntur, itaque obstructio pro parte nata, nondum solidata resolvitur. Ex hoc patere videtur & Inflammationem Ventriculi rariorem esse, & eam tamen facile oriri posse, si alimenta solidiora, nimia copia ingesta, utroque orificio arctissime constricto, diutius immutata in ventriculo morentur: Is enim est decursus fibrarum ab inferiori membrana Diaphragmatis ad Æsophagum venientium, ut in tumescente ventriculo orificium superius penitus constringant. Idem a fibris his per ventriculum productis pyloro fatum. Boerh.



Inst. 81. item plicatura intumescente ventriculo coarctat orificia, rarius tamen ab hac causa inflammationem ventriculi oriri observatur, nervi enim vigilantissimi hac in parte custodes demum ingestis magis magisque mora & calore; aëre, masticatione inviscato rarefcentibus & in majus volumen expansis irritati ventriculum in convulsionem concitant, ut inde depletionem vomitu facta liberentur. Huc usque obtinet Aph. 20. Hippocrat. Sect. 2. *A repletionem quicumque fiunt morbi, evacuatio sanat.* Ast ubi vera inflammatio semel nata, hæc evacuatio eam non solvet, potius mortem accelerabit.

#### §. IX.

Acrida ingesta aut etiam optimæ indolis alimenta defectu virium digerentium corruptione in ventriculo nata; aut condimenta mordaci vi prædita; aut venena hujus naturæ mucum detergent, abradunt, nervos nudatos fibrasque motrices arrodendo in spasmus agunt; hacque ratione orificia exhalantia constringuntur, arteriæque ultimæ, ubi in venas continuato canali jam jam abituræ sunt, quoque coarctantur. Hisce positis natum est fieri, ut obstructio & inflammatio insequantur, sic a radice ari recenti assumpta *Æsophagum* & ventriculum inflammatum fuisse, constitit.

#### §. X.



## §. X.

Diximus præcipuas causas & modos, quibus superficies interna & sana servetur, & morbosa reddatur. Ex quibus innotescit tam in genere, quam in specie, quænam sint causæ utriusque proëgumenæ, quibusnam procatharticis applicatis facile in actum si-ve in causam proximam tam sanitatis quam morborum convertantur. Dixi *utriusque* scilicet sanitatis & morbi, omnis enim effectus agnoscit suam causam proximam, hæc non nisi concursu proëgumenæ & procatharticæ unquam in Oeconomia nostra nascitur. Videndum nunc quid in externa superficie ventriculi ejus substantiam defendere, actionem in ingesta juvare & lædere possit. *Nil prodest, quod non lædere possit idem* dicit Ovidius.

## §. XI.

Partes externæ in promovendam Ventriculi actionem conspirantes sunt vel a Ventriculo *continuatæ*: ut omentum, vel *contiguæ*: ut hepar, lien, pancreas, diaphragma; vel *mediatæ*: ut cor, mediante tantum diaphragmate, intestina quædam, muscoli abdominales &c. Uterus in gravidis, hic tamen ventriculi actionem juvare non potest, verum frequenter lædere observatur.

## §. XII.



## §. XII.

Juvamen, quod enumeratæ §. præcedente partes præstant, consistit in calore & motu reciproco. Quo usque hæ partes moderatæ & secundum naturam munia sua peragunt, Ventriculus optime habet; Actu frigidis ingestis mox ad naturalem calorem nostri corporis, qui est circiter XCII gradum thermometri Farnheitiani, inducunt, quod præcipue præstant hepar, cujus sinus Ventriculi convexum magna parte Amplectitur, viscus hoc admodum est sanguinolentum, magnæ molis, substantiæ, quam cum fluidis suis constituit, admodum densæ. Mox super diaphragma cor organorum densissimum, motu systolico & diastolico, continuo agitatum, proin calidissimum; notum enim est chemicis corpora, quo densiora & rigidiora, eo intensiorem communicare calorem, eo debiliorem, quo rariora & flexiliora. Quod & a posteriori discimus, nam illi, quibus moleculæ fluidorum sunt densiores, solidiores, periculosius morbis inflammatoriis defunguntur. Hic calor, hic fons ad solidiora in ventriculo maceranda, subigenda, in pulvem cineritiam convertenda. Musculi abdominales quid præsent, videre est apud Clarissimum Albinum, quam ingens sit horum vis quam exerunt in viscera subjecta contra partes cedere nescias, ut os sacrum, spinam dorsi; aut voluntatis imperio firmatas, ut diaphragma, quavis rerum  
gna-



gnarus in se ipso experietur, dum pondus grave elevare nititur, aut in altum saltare, aut nixu intento alio antagonistam suum vincere, aut alvum duram solvere. Hæc dum conatur, muscoli abdominales instar lapidis indurescunt, ut advertes, si eos in abdomine molli, sive eorum Extrema super costas digito explores. Vim horum musculorum quidam tamen nimium exaggerant, dum Juxta Borellum computando eam ad 461212 libras extenderunt, aut sequendo propositionem Borelli 126 extendere coguntur; at nostri muscoli in omni parte non sunt proportionati ad alios, alii stricti magis, alii plus, alii minus nervosi, Vide hæc plenius descripta dans l'Anatomie de Heister du Ventricule.

§. XIII.

His ita constitutis, Ventriculus undequaque premittitur ac si inter præla solida coëuntia positus esset, vasa eum percurrentia  $\alpha\lambda\psi$  passa motum humorum suffocant; hoc dum fit, Ventriculo solidioribus infarcto obstructions ab errore loci & succedanea Inflammatio orientur, quæ eo magis solidatur quo fortius moleculæ sanguineæ in vasa serosa, & globuli serosi in vasa lymphatica acta fuerint, dum vero levior existit, existimo eam a causis prædictis tam externis quam in cavo existentibus, maxime vero omnium motu peristaltico solvi, quo fiet repulsio humorum stagnantium,

C

tium,



tium, eorum reductio in fluorem naturalem, quæ resolutio & causæ morbi ablatio sine crisi, utpote perfectissima, quæ vero difficiliter procedet, si corpus Plethoricum fuerit.

#### §. XIV.

An motu Peristaltico Ventriculus cieatur, dubitatum fuit; ast experimento hoc dubium sustulit *Clarissimus* Wepferus in catello, cui radicem napelli dederat, ubi motum hunc sub œsophago versus pylorum procedere vidit; cum vero perelegans experimentum sit & a clarissimo Hofmanno adductum, hic quoque inferre placuit a scopo nostro minime alienum, eo quod non tantum pro naturæ instrumento ad digestionem Juvandam & chylum ex ventriculo pellendum, verum etiam motum hunc causam agnoscimus ad obstructions præcavendas, & recens. natas resolvendas, modo non nimis solidatæ fuerint. Ejus verba hæc sunt: *Integrum. inquit. fol. 445. excidi Ventriculum, movitque se motu vermiculari. Stomachus sive sinistrum orificium arctissime sese constrinxit, ut ne guttula quidem excideret. Quando vero Ventriculus circa medium sese contraxerat, motus lente versus pylorum procedebat, illoque erigebatur, & liquor subpallidus, quandoque sensim, aliquando cum impetu protrudebatur. Constricto pyloro, Ventriculus rursus intumuit totus, moxque rursus circa medium sese constrin-*



*strinxerat, novusque liquor per pylorum ejiciebatur, hæc constrictionis in medio & inflationis alternatio per octavam horæ partem continuavit, stomacho semper clauso permanente. Postea Ventriculus sese movere desit.*

Hoc experimento discimus Ventriculum multi vario hoc motu cieri, sicque optime retropulsionem contingere; concipimus enim fieri speciem frictionis ab extremis vasorum ad Basin, quæ Boerhaavio remedio est, Aph. 141. n. 2.

§. XV.

Quæri hic posset, in quam membrana Ventriculi præcipue inflammatio oriatur, an in villosa? an in nervoso-vasculosa? an in musculari? aut in cellulosa? aut denique in extima? an in omnibus simul? ut hoc definiatur scire oportet, arteriarum per Ventriculi substantiam distributionem, decursum; in arteriis enim Inflammatio incipit, ipsa rei natura id docente. Omnis enim Inflammatio est atritus sanguinis rubri arteriosi stagnantis in arteriis minimis, ortus a sanguine a tergo pulso vide Boerhaav. Aph. 371. Dein arteriis distentis compressione externa venæ quoque Inflammantur, hanc Ideam quoque in vasis, quæ membranis inexistant concipimus.



## §. XVI.

Arteriæ ad Ventriculum derivantur a ramis arteriæ cæliacæ tam dextro quam sinistro, quæ arteriæ gastricæ appellantur & quæ distribuuntur per totam substantiam Ventriculi, vasa hic ingressa membranas Ventriculi dispergunt ramos per tunicam nervosam: unde appellari solet nerveo-vasculosa. Producent adhuc plurimos ramos ad membranam internam, in cujus superficie interna maximam partem aperti terminantur, ibique humorem tenuem exhalant, ut ex demonstratis Ruischianis apparet, ubi extrema impleta in mucopendula conspexit. Dico *maximam partem*, credibile est quasdam in venas sui generis continuato canali abire, quasdam in glandulas in extima superficie hujus membranæ positas, succum mucilaginosum deferre per ductus excretorios in cavum Ventriculi determinandum in usus necessarios. Ramus vero dexter arteriæ hujus cæliacæ in progressu versus hepar in medio ductus duos ramos emittit, & inferiore parte gastro-epiplois dextra ad dextrum latus fundo Ventriculi inseritur. Ramus sinister nempe arteria splenica ad lienem progreditur, & ex parte superiori gastricam largitur, quæ dein adscendens Ventriculi orificium sinistrum instar coronæ cingit, ubi arteria coronaria dicitur. Ex superiori vero ramo arteriæ splenicæ nascitur gastro-epiplois sinistra, quæ arteriæ per universum corpus Ventriculi disperguntur.

## §. XVII.



## §. XVII.

Ex his sequitur in omni membrana Ventriculi obstructionem inflammationemque contingere posse, in omnibus vero simul eam oriri, dum venæ sanguinem a Ventriculo reducentes in truncis majoribus quacunque de causa comprimantur, ut inde systemate venoso impleto arteriæ se non possint evacuare. Inflammatio vero hæc si nata & solidata fuerit, aut raro & difficulter solvetur, & si in suppurationem abierit, hæc, nisi admodum exigua fuerit, lethalis; perforabitur tum Ventriculus & contenta in abdomen elabuntur, & actum erit de vita ægri. Verum cum a causis in cavo Ventriculi existentibus plerumque Inflammatio oriatur, tunicam internam & nervoso-vasculosam præ reliquis affici, ratio persuadet, at tum quoque partes vicinæ (paries dum proximus ordet:) tutæ non sunt, hinc omni molimine resolutio acceleranda; occasio hic præceps; scintilla in hoc fomite neglecta levi negotio se diffundit, vires eundo acquirit, mox in fatale incendium abitura.

## §. XVIII.

Subjectum quod attinet vita laboriosa, ætas media, omnium functionum vigor, plethora, tristitia protrahæta huic effectui obnoxia esse videntur.



## §. XIX.

Signa Ventriculi Inflammati sunt sequentia: Dolor auctus sub scrobiculo cordis, ad omnia ingesta etiam mollissima exasperatus; sitis intensa, appetitus nullus, nausea, vomitus, febris acuta, respiratio variis intervallis plus minus dolens, prout pars inflammata in inspiratione & expiratione mutatur; pulsus durus, varique aliarum partium per consensum affectarum dolores, urina rubicunda, inquietudo, anxietas præcordiorum, vigiliæ, secessus alvi rarus aut nullus, quia conatus eam solvendi dolorem Ventriculi exasperat.

## §. XX.

Antecedentia sunt Plethora, ingurgitatio potus frigidi æstuante corpore, aut frigida actu externe scrobiculo cordis applicata, acria, aut glutinosa diu assumpta, nixus vehemens &c. Vide §. XVIII.

## §. XXI.

Omnia signa tam anemnestica, tam diagnostica simul sumpta signum Pathognomicum constituunt Inflammationis hujus. Constat enim frequenter ex aggregato plurium signorum concurrentium, inquit Boerhaave Instit. §. 878.

## §. XXII.



## §. XXII.

Eventus hujus morbi prædicatur ex loco affecto, magnitudine, progressu morbi, symptomatum gravitate, conditione subjecti, tempestate anni, alimentorum & medicamentorum admittance, rejectione, reliquisque phænomenis ante enumeratis ad ingesta necessaria plus minus exasperatis. &c.

## §. XXIII.

Quantum discriminis locus hic affectus in volvat, ex necessitate ejus officii, discimus, quis non metuet functionem læsam ejus partis, a qua omnes functiones continuo suas vires acquirunt, quæ omni momento, actione vitæ minuuntur? quis non formidabit inflammationem ejus organi, cujus cum universo corpore tantus consensus? quis non exhorret exasperationem symptomatum ad minima liquida etiam blandissima ingesta? sic ut omni ratione pars hæc inflammata nil boni promittat, nisi omnia reliqua, quæ præter naturam existunt, fuerint mitissima, optima ægri conditio. &c.

## §. XXIV.

Magnitudinem morbi definit cruditas ex suis causis prænoscentia. Est enim cruditas ea fluidorum & solidorum



dorum ad se invicem conditio, quæ præsentem morbum facit, auget, continuat, consistens in elementorum massam humorum constituentium mole, soliditate, co-hæsione, divisibilitate, elasticitate, inertia; vel in solidorum rigiditate, canalium, quacunque de causa immi-nutione, debilitate, &c. Hujus cruditatis exactam ideam, causasque sistit. Boerhaave Aph. 107. usque 123. quæ omnia hic cognita ponimus item Instit. §. 944.

§. XXV.

Symptomata quo magis copia & atrocia increfcunt, eo discrimen majus & contra. Vehemens eorum sævi-tia fere semper morte pacatur, primo partis affectæ, tum corporis totius. Præcipua sunt convulsiones feroces, singultus laboriosi, anxietas summa præcor-diorum, eorum æstus ingens, pulsatio, syncope, deli-rium &c. Convulsiones quidem in principio adesse sem-per, sed invalescente morbo diriores evadere solent: na-scante enim morbo, spasmus Ventriculi adest. Nervi utpote hic loci exquisitissimi sensus Gal. 1. de Sympt. Caus. 3. 17. G. item Com. 4. Aph. 17. Obstructis & tumefactis vasis extensi, dolent, calore irritantur, spaf-mum non modo cum ipsa hac inflammatione nasci, ve-rum eum præcedere (violentissimum quidem vocat) testatur Frederic. Hoffman. longa experientia confirma-tissimus. Qui, ut existimare licet, non nisi inflamma-tioni admodum magnæ & solidatæ supervenit, nun-quam



quam in initio talis existit, nisi a veneno corrorente, ut arsenico, mercurio sublimato, corrosivo, helleboro albo, euphorbio, Mezeræi baccis, aut Aphtis orta fuerit, duplex inquit l. c. §. 10. mihi statuenda videtur, causa tanti periculi in Inflammato Ventriculo: *Una scilicet est spasmus violentissimus* (potius *violentus*, nam eum augeri mox scribit) *qui semper Inflammationem præcurrit, & hic unus & solus fere est, qui Inflammationem progenerat; altera, quod ob stagnantem sanguinem spasmus adhuc augeatur, inde partes quæ nobilissimæ nerveæ irritentur. Inflammatio igitur per se non jugulat, sed spasmus potius, cujus sævitia post Inflammationem magis cumulatur.* Spasmus vero ejus est naturæ, ut si partem nerveam sensibiliorem invadat, maximas in universo corpore perturbationes motusque vitæ, inimicos & adversos excitare possit, & sane gravissimorum morborum ratio ex spasmis plerumque nervosarum partium est deducenda.

## §. XXVI.

Mentis aberatio, convulsio, phrenitis symptomatice ab affectis Ventriculi nervis facile oriuntur. Accedit, quod venæ spasmis in Ventriculi substantia constrictæ arteriis se evacuandi libertatem tollant, inde perturbato motu humorum circumductorio major raptus sanguinis ad caput, dictorum symptomatum causam suppeditant; varios affectus, soporosos vertiginosos hinc oriri

D

do-



docet nimia Ventriculi impletio in homine sano robusto, licet mitiores.

§. XXVII.

Metuenda quoque sunt pulsus inæqualis, parvús, debilis, & insequens extremorum perfrigeratio ob labiles naturæ deficientis vires.

§. XXVIII.

Ratione subjecti periculosius laborant homines temperamenti ficci, calidi, cholericus duris laboribus exercitati, ætatis mediæ, eo quod in iis citissime actio cordis invalescat, attritus, calor augeantur fluidissima dissipentur, obstructa consolidentur, & hac ratione nata Inflammatio in gangrænam & sphacelum abeat lethiferum.

§. XXIX.

Quoad tempestatem, si calida & sicca extiterit, hac ejus constitutione causa morbi majores vires acquirit, omnes enim inflammationes, seu morbi Inflammatorii viscerum invalescunt, calore sicco externo: Hinc plus discriminis habet noster affectus æstate & autumno, quam hyeme & vere.

§. XXX.



## §. XXX.

Excreta & retenta ad eventum prædicendum probe attendenda; si æger nec alimentum nec medicamentum in Ventriculum ullatenus admittit, pessimi ominis est; notat hoc inflammationem per orificium superius diaphragmati communicari, hinc rejicitur antequam Ventriculum ingressum fuerit. Si vero quidem admittit, at mox revomit, indicat inflammationem magnam, seu magnam Ventriculi regionem inflammatam, eamque intensissimam, ut quantitas exigua, blandissima ingesta retineri non possit, tum in arte vix est, ægrum servari posse.

## §. XXXI.

Certissimum mortis instantis indicium est subita doloris abolitio in morbi incremento aut vigore. Signum hoc est partem Inflammatam in gangrænam & sphacelum fuisse conversam, quod & indicat halitus cadaverosus.

## §. XXXII.

Differentias quod attinet, vel est universalis, vel particularis, vel in superiori, vel in inferiori regione Ventriculi, vel in lateribus aut in membranis interioribus aut exterioribus, verum hæc differentiæ tanti momenti



non sunt, cum exacte cognosci ex signis non possint, nec intentionem Medici mutant in cura. Præcipuæ sunt intuitu causarum, & aliorum viscerum respectu, ne una præ alia sumatur tractanda, attentissimum medicum esse oportet. Omnino consulendus est Fred. Hofman. *sæpissime* dicit §. 8. Loco citato pag. 448. occurrens affectus vel pro inflammatione hepatis vel pro cardialgia illis accipitur! Jam dudum id notavit Galliaë ille Hippocrates Fernelius Lib. 6. Cap. 2. de part. Inflammatione, inquit. Ventriculi affinis est inflammatio hepatis, quæ vel summum jecoris lobum, quo Ventriculus obtegitur; vel incumbentem illi abdominis regionem occupat. Tumor enim prominens & circumscriptus cum dolore in Ventriculo sito inest & febris & aliorum malorum plura, ut proinde vel experientissimos sæpe medicos fallat. Distinguitur autem sola symptomatum vehementia & pernicie, quandoquidem in Ventriculo omnium sævissimæ inflammationes incidunt. Cardialgia vero & Inflammatio Ventriculi multum inter se conveniunt ob plurima symptomata, quæ utrumque horum affectuum concomitantur. In eo tamen differentia est, quod in cardialgia febris deficiat, deficiat etiam ardor intensior, fixus in Ventriculi regione, denique clementior benigniorque symptomatum sit accessio.

### §. XXXIII.

Intuitu causarum notabilis differentia ratio est, an a  
causa



causa interna, utpote humorum acrimonia, aut alio morbo prægresso orta fuerit, tum discrimen, eventusque ex præsentis cognita mali natura definiendum, ab aphtis v. g. non modo dirissima solet producere symptomata, ut suffocationes, convulsiones enormes, verum plerumque in citam mortem desinere consuevit, tum ut plurimum lienteria suborta deficiunt ægri.

A petechialibus aliisque exanthematicis febribus aut morbis acutis febrilibus, affectibus rheumaticis, Podagra, exanthematibus, materiaque rheumatica, podagrica incauto retropulsis inflammationes Ventriculi oriundæ non raro funestum habent eventum; uti videre est in Fred. Hofm. L. C. §. 23. Morborum seriem a podagra retropulsa incautamque methodum affectum hunc tractantium Medicorum sistit Boerhaav. aph. 1273.

### §. XXXV.

In variolis gravioribus omnia viscera inflammari existimamus; adeoque Ventriculum; monstrant id pelliculæ post suppurationem alvo excretæ, quæ nil sunt, nisi membranæ internæ Ventriculi & intestinorum, suppuratione resolutæ. Qua ratione hæ redintegrari possint, non adeo liquet.

### §. XXXVI.

Ordo nunc postulat, ut causas hujus affectus enarremus.



mus. Verum eas suis locis sparsim inseruimus, hoc minime præpostere fieri Arbitrati; exiguit enim effectuum expositio, ut causarum, quarum producta sunt, inferatur mentio. Ex iis ergo ex parte petendæ; earum vero, ut paucis repetam, epitome hæc esto: Potus frigidus Ingurgitatio æstuante corpore, ejus subita refrigeratio, impletio, abusus aromatum calidorum; liquorum cum aromatibus acrioribus destillatorum. Huc quoque pertinent condimenta nimis exquisita, mordacia, salia & purgantia drastica, resinæ stimulantés, tenaces plicis Ventriculi inhærentes, ut Resina Jalappæ conveniente menstruo non subacta, item facultate rodente caustica prædita, quibus omnibus perimendi facultas Vide Fred. Hofm. loco citato §. 20. huc spectant liquores caustici, sive liquida alcalina, ut salium plantarum, sive acida mineralia, ut oleum Vitrioli, aqua fortis, spiritus nitri, salis, sulphuris &c. Cacochymia acris interna, vermes &c. Animi affectus feroces v. g. Ira vehemens: ut Fred. Hofm. §. 17. & Hildanus Cent. 6. Observat. 34. Omnia denique irritantia, quæ spasmodum Ventriculi Excitare possunt. Nec silentio prætereunda acria Mechanica ut pulveres crystallorum, lapidum pretiosorum; limatura martis, Vitri Antimonii in substantia de his vide Fred. Hofm. §. 18. Blasium allegat testem.



§. XXXVII.

Quid de quibusdam calcibus: Gypso calcinato, glaciemariæ, stanno, plumbo, &c. Mucilagine feminis Psillii, pulpa Colocinthidos, Agarico, sive in substantia sive in Trochiscis censendum sit, ex densa, gravi, rara, & levi eorum substantia intelligitur: Calces enim dictæ in lapidem in Ventriculo facessunt aqua non solubilem; mucilago illa fere calces imitatur; fungi ob levitatem & resistentes facultati digestrici Vires immutabiles persistunt, quoad moleculas malignam interim Indolem continuo exerunt, quibus omnibus Ventriculi nervi pessime afficiuntur.

§. XXXVIII.

*Curatio.* Hæc dirigendâ est conditione causæ, naturæ, statusque morbi, ut verbo dicam, intellectu indicantis. Occasio hic præceps, subitam causa sui indicat ablationem, aut nisi hoc tempestive fiat; ex parva orietur magna, ex levi gravis, ex sanabili funesta; regula hic esto Ovidiana.

*Principiis obsta, sero Medicina paratar*

*Dum Mala per longas invaluere moras.*

Summi discriminis negotium esse, dum sanguis substantiam



tiam Ventriculi transire non possit, ipse ad alia viscera auctus motus & necessario nascentia inde disturbia, ipsa Ventriculi sensibilitas & cum aliis partibus consensus manifestum reddunt; quam citissime igitur remedia in usum revocanda. Si æger est adultus & inflammatio a refrigeratione sive interna, sive externa orta, aut evacuatione consueta suppressa quacunque, sanguis mittatur in brachio, quod ideo eligimus, quia breviori spatio temporis major copia effluit, eundem in finem Vena major late incidatur, ut sanguis pleno saltu emitatur; scrobiculo cordis fomenta applicentur, quæ blandissima sunt & calorem diutius fervant. Hydromel tepidiusculum parca copia forbillet æger. Omnia, quæ copia & qualitate stimulant, ut moles assumpti, acrimonia, sive calor, frigus, vitanda. Clyisma antisepticum injiciatur, fæcibus expulsis reiteretur. Ejusmodi clysmata leviter nitrosa, summi usus sunt, imprimis cum Ventriculus omnia medicamenta rejiciat; nam magna pars fluidissimi antiseptici resorbetur a venis in cavo intestini recti positis. Hac ratione balnea externa quoque prodesse verissimum est. Utrumque experimento cuilibet patebit. Injice, fæcibus expulsis, aliquot uncias aquæ tepidæ, post aliquot horas ano successente transibit aqua per vias urinarias, debuit igitur transiisse cor, pulmones &c. Vid. Heist. Chir. Clysm. Sic homo nudus postquam aëre æstuante gravem protraxerit laborem, sitim pertulerit, infideat collo tenus balneo aquæ simplicis calidiusculæ, sentiet  
sit



fitim sensim extingui, humorum nempe adventu, quo immeabilitas massæ sanguinis utpote fitis causa corrigatur. Debuit igitur liquidorum resorptorum copia ad intima vitæ penetralia pervenisse, universamque microcosmi regionem irrigasse; ubique enim fitis sedem suam habere potest, ut superius gratia hujus auxilii intelligendi & applicandi innuimus. Hac ratione optime laxantur arteriæ obstructæ, humectantur, expediuntur, partim facta ad remotiora & exteriora humorum derivatione, partim transfluxu tenuium per canales minores, raro quippe obstructio adeo solidata est, quin aliqui canales adhuc sint aperti nisi inflammatio jam jam in gangrenam & sphacelum sit abitura. Nitrum summum quidem est antiphlogisticum, nihilominus leniter stimulat, adeoque intro sumptum facile nervos Ventriculi modo pessime affectos, irritabit.

## §. XXXIX.

Dubitari posset de quantitate, verbi gratia nitri admiscendi clysmati & balneo, videtur ὄβ. omni bihorio in iv. aut v, vj. unciis aquæ pro clysmate sufficere. Dosis major efficeret; ut retineri non posset, osculaque constringerentur. Eadem fomenti ratio. Proportio hæc nitri ad aquam in balneo collotenus instituto minor sit. Interim dum hæc fiunt, Ventriculo prospiciendum.

E

§. XL.



## §. XL.

Vomitu nihilominus perseverante, fyrupus violarum quippe blandissimus, gratissimus, anodynus, nervis amicissimus pauca copia & frequenter tepide ingestus tutissimum videtur medicamen, ubi omnia alia rejiciuntur quo mirifice pacantur nervi, hic loci sentientissimi, licet semel, bis, aut ter fiat hujus rejectio, non subito ad alia transeundum, modo violentia absit, repetendum. Hoc faciunt emulsa ex seminibus quatuor frigidis, item papaveris albi &c.

## §. XLI.

Æger interim leviter nutriendus, hinc ad mucilaginosam diluta sensim deveniendum, ut jura carniū juniorum animalium, dempta pinguedine, succo quodam acidiusculo blando alterata, ut alcalescentia præcaveatur, item decoctum hordeatum, ut & paratum ex caricis pinguibus, radice liquiritiæ, althææ, scordii, rapis, & similibus blandissimis, quæ omnia leniunt, laxant, nutriunt, modo retineri possint; si non, injicienda. His prudenter insistendum, donec fiat coctio & crisis. Resensita sufficere arbitramur ad pepasum obtinendum.

## §. XLII.



## §. XLII.

Si ab acri caustico rugis Ventriculi inhærenti ortum duxerit, tum post venæ sectionem aqua tepida ingesta proliciatur vomitus, quod hoc in casu facile fit, aut oleo blando, si acre sit ejus naturæ, ut aqua solvi, aut iners reddi non possit. Inflammationem a caustico minerali ortam Fred. Hofman. mixtura ex oleo amygdalarum dulcium & aqua sanavit, aut mox inde orituram præcavit. *Hospes inquit L. C. §. 35. quidam cum loco sacchari ex errore jusculo arsenicum admiscuisset, appposito illo convictoribus suis, quorum nonnulli clari & nobiles erant, in ultimum fere illos conjecit periculum, omnes enim qui gustaverant offam, statim summa pectoris anxietate, angustiis, dolore & ad vomendum conatu correptos se sentiebant, vocatus ego in consilium, & cognita mali causa insignem copiam lactis cum oleo amygdalarum dulcium cuique ægro exhiberi jussi, idque tam diu donec vomitus quiesceret. Vomebant ægri per diei dimidium, quidam vel centies, & ingerebatur lac tam diu, donec nil amplius veneni superesse videretur.*

## §. XLIII.

Expulsa causa mali leni anodyno nervis tranquillitas consilianda, quale est emulsum antedictum, cremor hordei, syrampus papaverinus, diacodium, Theriaca. Hæc



tamen ob aromata, quæ Theriacam ingrediuntur, minus tuta, potius tinctura opii recens cum aqua facta, quæ minime irritat; facile vires opii aquæ simplici communicantur, nec ad opium ipsum deveniendum, si aliis scopus obtineri possit.

§. XLIV.

Si a bile acri corrupta in cavum Ventriculi delata, orta fuerit inflammatio, post V. S. & vomitum sponte vel aqua tepida procuratum convenit decoctum tamarindorum, hordeatum, julapium ex aqua hordei, rob ribesiorum, aut tamarindorum addito pauxillo vini Rhenani; aut rob sambuci, aut serum lactis leniter acidum intentionem naturæ & medici absolvunt, putredini quippe resistunt, præsentem corrigunt, nervos irritatos dimulcent. Hisce persistendum, donec malum superatum sit. Hæc dum fiunt clysmatum blandiorum usus, ut & fomenta externa non negligenda.

§. XLV.

Exhorrent Medici vomitum in Inflammatione Ventriculi medicamento excitandum: justissimus, fateor, metus est, si causa sine vomitu subigi possit, si vero constat, eam superari non posse, jam in maximis & dubiis malis magna remedia adhibenda esse, Hippocrates, Celsus & Boerhaave pro axioma ponunt; causa enim reli-  
cta



cta necessitate inferret necem, non autem vomitus, nisi Inflammatio nimias vires acquisiverit.

§. XLVI.

Quod si a causa substantiæ Ventriculi inexistente, puta, humoribus cacochymicis putrescentibus Inflammatio orta fuerit, V. S. præmissa, fomentis applicatis, clysmatibus antisepticis curatio instituenda; ut hac ratione cacochymia putrida corrigatur. Proxima via esset immediate per os causam oppugnare, verum vomitu rejicitur, quidquid ingeritur; Cum autem vomitus præcipue in hoc casu omni cura vitandus sit & causa vomitu expelli nequeat, per alias vias medelam transmittere oportet. Vid. §. 38. Qui purgantia commendant, videntur malum in genere pro objectio habere, non locum affectum, qui hic summi momenti indicans est. Dum vero critice solvi incipiat, tum purgante tempestive dato adjuvari poterit naturæ molimen, maxime si per alvum se liberare moliantur juxta monitum divini senis Aph. 21. sect. 1. *Quæ ducere oportet quo maxime vergant, eo ducenda* & Aph. sequens 22. sect. 1. *Concocta purgare & movere, non rudata, neque in principiis, nisi turgeant.* an autem locus Hippocratis de victu in acutis huc pertineat, est quod dubitem, apud Fredericum Hofman. pag. 468. textus multum mutatus, apud Foësium pag. 366. sic legitur. *Potissimum vero jecoris vehementissimi dolores & lienis gravissimi supra septum transversum dolores & morbo-*



*rum collectiones solvi nequeunt, si quis eas primum medicamento purgante aggressus fuerit. Verum in his V. S. præferenda est. Deinde ad infusa per alvum veniendum, nisi magnus & vehemens fuerit, alioqui etiam postea medicamento purgante utendum. Quod & post V. S. securitate & moderamine indiget. Quicumque autem statim per initia morborum Inflammationes medicamento purgante solvere tentant, ii de contenta quidem atque inflammata parte nihil detrahunt, cum nihil cedat, quæ adhuc cruda est affectio: quæ vero morbo resistunt & sana sunt contabesciunt. At debili reddito corpore morbus superior evadit, qui ubi corpus superaverit, curationem non admittit.*

#### § XLVII.

*Ex §. præcedente patet, inflammationem Ventriculi symptomaticam in synocho putrida, seu causo vix medelam admittere, spem omnem, si qua sit, in clysmatibus & fomentis positam esse, neque adesse malignitatem, licet signorum a Boerhaave Institut. §. 919. longa series adsit, quorum præcipua sunt: Vomitus assiduus, singultus, dolor, anxietas circa Stomachum, rejectio sincera per vomitum feri, bilis, putridi humoris, alvi dejectio sincera, liquida, fætida, non levans, valde debilitans fibras, carunculas, membranas secum vehens; sudor frigidus, pulsus celer, debilis, durus, respiratio citata, tusliculosa, dolens, mentis alienatio; som-*

nus



nus nullus, turbatus, assidua jactatio &c. Hæc omnia sunt producta a magna causa cognita, proin nil maligni. Hoc in casu V. S. vix aut plane non indicatur. Signum enim corpus insigniter debilitatum esse, eoque debilitato morbum invalescere. Minime igitur administranda causa debilitans ut est sanguinis missio, si vero mox in principio supervenit, & corpus viribus non exhaustum, utique convenit; duo enim sunt, quæ hanc indicant, sed perraro casus hic obtinere videtur.

#### §. XLVII.

Remedia in affectu complicato sunt diluentia, blande incidentia, cito acescentia, imo acidiuscula: ut serum lactis acere incipiens, in quo mel dissolutum; aut decoctum avenæ, addito Rob. Berberum, Ribium, sambuci, tamarindorum, cremore tartari. Medicamenta hæc omnibus aliis pretiosis sunt præferenda, utpote tutissima, efficacissima, sufficientia debito tempore & modo administrata.

#### §. XLIX.

Recensitis hisce Medicamentis si resolutio obtineri nequeat, & ferocia inflammationis ægrum non tollat, communes sequitur Inflammationum terminos, abitura aut in suppurationem, aut in gangrenam, aut in scirrhum,



## §. L.

In suppurationem terminatur hæc Inflammatio, si orta in homine euchymo, robusto a causis externis aut humoribus paulo plus justo inspissatis, sive a dissipatione fluidissimorum per exercitia validiora, sive glutinosis assumptis, stasis inflammatoria enata sit, ita tamen ut vasa tertii & quarti ordinis adhuc quadantenus libera & pervia sint. (In cacochymicis rarius in suppurationem sinceram abit ob corruptelam massæ sanguineæ: sic quoque ubi venenum acutum causa exstiterit obmoram negatam:) *si humor blandus*, inquit Boerhaave Aphor. 387. *motus citatus, obstructio magna nec resolvi potens, actus symptomatibus*, (quippe magnæ Inflammationi supervenire solitis) *Vascula distenta rupta cum dolore, calore, pulsu, tumore, liquores suos effundunt. solvunt, putrefaciunt; leviter solida tenera atterunt; fluidis miscent, in unum spissum, glutinosum, pinguem humorem, pus dictum*: Hisce paucis requisita suppurationis, materiam, causam efficientem, modum integre sistit incomparabilis dignissimusque Naturæ minister. Omnia quidem sensus non incurrunt, verum comparatione facta cum externa suppuratione, clare menti scrutanti hoc ita fieri debere indicatur.



§. LI.

Hujus curatio, si redintegrationi locus, absolvitur detergentibus, mundificantibus decoctis, alimentis eadem detergendi mundandi facultate præditis; pauca sed frequenti copia datis; si vero inflammatio omnes membranas occupavit, magnaque fuerit: Integraque in suppurationem abierit, jam Ventriculo perforato substantia amissa, inanis medela, ut pote malum naturæ & artis potentia superius est. Credibile nihilominus est omnem partem inflammata in suppurationem non abire, suppuratio nempe pro parte facta humoribus stagnantibus exitum procurat; quod clare docent Apothemata externa, quam primum suppuratio in medio contingit, tumor inflammatus in circumferentia a rubore, dolore, tensione, pulsatione remittit. Hinc patet veritas effati Hippocratis aph. 47. sect. 2. *Circa puris generationes dolores & febres magis accidunt, quam ipso facto.* idest suppuratione facta mitescunt symptomata inflammationis, non tantum quod pars vivens in pus conversa, sed etiam quod causæ distendentes minuantur, idest, stagnatio in vicinis solvatur. Vide Boerhaave aphor. 405.

§. LII.

Ubi in scirrhum cancrumque abit, tum enormes vom-

F

mi-



mitus, dolores intolerabiles ad minima ingesta acerbatos, fixos, diuturnos ad omnia medicamenta aspera insurgentes excitat: tum lenibus pacatur, raro extirpatur ferox causa mali. Vide Boerhaave 956. si quid solamini sperandum, præcipue ex fontibus medicatis petendum. Enormes illi vomitus plerumque lenta morte pacantur.

### §. LIII.

Gangræna & sphacelus Ventriculi Inflammationem excipiens cito in mortem tendit. Semel nata gangræna cito invalescit, nec in sphacelum progressus impediri potest, ut nec ortus inde sphacelus auferri. Artis potentiam in Inflammatione Ventriculi optime ostendit is, qui in principio eam adhibet medendi rationem, ut tristissimi dicti eventus præcaveantur. Nunquam fiet suppuratio, nisi vis vitæ sit paulo nimis incitata, & blanda tenuia fluida non deficient; nec scirrhus, si præcaveatur exsiccatio; nec gangræna, nisi obstructio auctis nimis vitæ viribus solidetur, fluidiora dissipentur, residua inspissentur, corrumpantur, solida atterantur, quorum notitia determinat in tempore, quid, quibus, quomodo agendum. Fateor plurima de his dicenda superesse, cum vero illa ex dictis utcunque rerum gnari facile concipient, hic filum abrumpo.

Æquum exopto, si quem habiturus sim lectorem, si juxta Naturæ intentionem & salutaris artis præcepta quædam deprehendat, applausum inde nullum arro-



go, eo quod recta ratione omnia facere oporteat, ita quidem volui, verum scopum hunc me assecutum non esse, quantumvis optima magnorum virorum effata inseruerim, lubens concedo. Proin si quis perlegere dignabitur, censorem, osorem, & castigatorem severissimum commissorum errorum se præbeat; ille mihi gratissimus, qui me errantem corrigere, vera docere non gravabitur.

F I N I S.





# COROLLARIA.

I.

*Prout pars affecta, ita medendi methodus.*

II.

*Via brevior non semper tutior.*

III.

*Antiphlogistica æque consistunt in subtractione,  
quam additione.*

IV.

*Ubi dolor: ibi spasmus, non semper vice versa.*

V.

*Antispasmodica frequenter sunt antiphlogistica.*

VI.

*Unum idemque diversissimis partibus est nutrimentum, quod natura singularis cuius proprium fecit.*

VII.



VII.

*Diversissimi morbi una causa oriri possunt, non uno remedio, nec uno administrandi modo tolli.*

VIII.

*Spiritus esuriens a quibusdam sic dictus si sit causa famis & sitis, saltem non est proxima.*

IX.

*Limatura martis, non presente acido, Ventriculo duplici ratione noxia.*

X.

*Cephalalgia, vertiginis, lipothymie causa sepe est in Ventriculo.*



I N H O N O R E M  
V I R I J U V E N I S,  
**JACOBI EVERA,**

*Medicinæ Doctoratu donandi.*

**Q**uem nunc optatis video successibus uti,  
Et redimit cuius Laurea casta caput:  
Accipe parva meæ gratantis munera mentis,  
Ante focos quamvis victima macra cadat.  
Nec semper magnis fumant altaria donis,  
Casta modo, superis munera parva placent.  
Grata dūo quamvis modulentur carmine Cycni,  
Inter at argutas obstrepet anser aves.  
Hæcce dies æquo poscebat jure camænas,  
Queis celebret festum nostra Thalia diem.  
Lætitiaque suæ Tibi prodat signa sodalis,  
Jam Tibi dum Medicos inter Apollo favet.  
Perge Machaoniis studiis intendere mentem,  
Opponat Lachesi se tua cura feræ.  
Sic vives patriæ, vives sic utilis ægris,  
Depellens morbos Pæonis arte graves.  
Nestorei veniant vobis feliciter anni,  
Pro votis manent prospera cuncta tuis.

M. T. HILGERS, J. U. Candidat.

TER



TER GELEGENTHEIT,

DAT DE HEER

JACOB EVERA

*Leeraer der Geneeskunde wierd verklaert.*

K L I N K - D I C H T.

**D**e gulde Apollo, die uit 's Hemels Opperzaelen  
De Heelkunst tot het nut van 't mensdom zond beneên,  
En kranken heeft bewrydt voor klachten en geweên  
Door kunst-beminnnaers, die onsterfelyke eer behaelen;

Komt weder met zyn gunst op 't aerdryk nederdaelen,  
En wyd u tot zyn dienst, op dat, gelyk voorheen,  
In u herleven zou de wysheit van Galeen,  
Om van den sterfeling te weeren 's lichaems kwaelen.

God Febus, die uw hoofft versiert met Lauwerblaéren,  
Alleen voor deugt bereit, zal uwen naem bewaeren,  
En rukken uit de klaeuw der alvernielende eeuw.

Gy, die op 't Leidsch Atheen gaest zoo veel held're blyken,  
Dat gy in naerstigheit aen niemant hoeft te wyken:  
Toon nu uw schrandrheit den wytvermaerden Zeeuw.

GERARDUS NOEST, J. U. D.

TER



TER INHULDING  
VAN DE HEER  
JACOB EVERA,

*Tot Meester in de Geneeskunde.*

K L I N K - D I G T.

**M**en zag het Mensdom in een Zee gestort van plagen,  
Zoo dra Prometheus vond den Goden 't vuur onstal,  
En dat Pandoraes doos beswangert met een tal  
Van rampen ons den wrok van Jupiter deet dragen.

Dog teffens kwam 't Vernuft den sterveling onderschragen,  
Ondekkend, hoe Natuur verschaftte en leverde al,  
Het geen tot 's Mensdoms hulp vereift wiert, en beval,  
Aan haar geheimenis en troost en raet te vragen.

Is 't wonder dan, dat me U het loflyk Heldenspoor  
Van Mannen, wier gerugt blinkt 's Weerelts deelen door,  
Ziet Drukken in het wel besteden uwer uren?

Wel aen! volhert dien weg volstandig in te slaen;  
Die zal uw grooten lof behoeden voor Vergaen:  
Gelyk Hippocrates alle eeuwen blyft verduuren.

D. FIERS KAPPEINE, J. U. D.  
TER



T E R E E R E

VAN DEN HEER

# JACOB EVERA,

*Na eene twistreden over de ontsteeking van de Maag  
gehouden te hebben tot Leeraar in de  
Medicynen verkooren.*

*Virtutis gloria merces.*

**W**ie dog kan op deez' dag van vreugde zig bedwingen?  
Die ons een schrand're Zeeuw, een roem der Jongelingen  
Met eer bekroont, doet zien, aan wien door Pallas stoet.  
Tot loon van vlyt, met regt den groenen lauwerhoet  
Ten teeken van verdienst' en lof werd opgedraagen;  
Ontwyffelbaar een blyk dat hy haar kon behaagen,  
Door zyne naarstigheyd van hem steeds aangewend,  
Die hem nu komen doet, tot zyne vreugd, aan 't end  
Der loopbaan, dien hy heeft op 't Leydsch' Atheen geloopen  
Om zig aldaar een schat van wysheyd op te koopen.  
Maar wyl uw heusch gemoet na roem zeer weynig vraagd,  
En schoon 't uw nedrigheyd in 't minst ook niet behaagd  
Dat ik U na verdienst' zou pryzen of verklaren,  
Wat lof gy waardig zyt, zoo tuygen 't uwe bla'aren,  
Waar in gy ons ontfouwt d'ontsteeking van de Maag,  
En wat 'er voorts behoort tot weering van die plaag.

G

Geen



Geen wonder dan, myn Heer, dat men aan U ziet geeven,  
Den naam van Meester, 'k wensch dat ik het mag beleeven,  
Dat gy ook met de daad zulx toonen zult te zyn,  
Met aan den kranken hulp te brengen, en de pyn  
Te jaagen op de vlugt, om uyt de wreede tanden  
Van 't alverslindend' graf en de roofzieke banden  
Des doods te rukken, die zig U heeft toevertrouwt;  
Zoo zult gy maaken dat 't den Zieken nooyt berouwt,  
Van U, zoo dra 'er ooyt gevaarelyke quaalen  
Hem over-rompelen, als Meester we'er te haalen;  
Zoo uw iets voorkomt 't geen gansch zeldzaam schynt van aard,  
Deel 't and'ren mee, zoo gy het agt die moeyte waard,  
Dan kunt ge met een reex van veel merkwaarde zaaken  
Deez' nutte wetenschap hoe lang hoe meer volmaaken.  
Voorspoedig en gezond meugd gy het pekelnat  
Doorklieven, en met vreugd zien naderen de stad,  
Daar ik van herten wensch dat gy al uwe vrinden,  
Die U verwagten, zult in goede welstand vinden;  
Ik wensch' U verder al wat wensch'lyk is op aard'  
En zoo de Mingod wil dat gy ooyt zyt gepaard,  
Verbind hy uwe ziel aan eene jonge schoone  
Die met een schrand're geest begaast, uw weermin toone  
Vermeerderend' uw stam, dan dunkt my, hebt ge wis.  
Een staat die hier op aard' met regt een hemel is.

Pro viribus Cecinit.

JAN LONCQ, Med. Stud.